Lane Medical Library

DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO KATTNER

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

E. KUSCHEL, med. et chir. Dr.

H. CZOLBE, med. et chir. Dr.

C. CICHOCKI, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0182

AVUNCULO

CARISSIMO, DILECTISSIMO

JOSEPHO REDANSKY

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

De Chloroseos nomine et notione.

Nomen accepit Chlorosis a symptomate maxime perspicuo, a colore albo, cereo, lurido, subviridi, qui apte adjectivo graeco χλωρὸς significatur. Morbum antiquitus jam innotuisse, compertum habemus ex Hippocrate (de morb. mulier. Lib. II.), qui symptomata essentialia morbi sat distincte describit. Sed multo frequentiorem esse morbum nostris temporibus, praecipue in urbibus, in quibus vitae ratio magis magisque a naturali abhorret, mirandum non est. Ceterum varia ad hunc morbum designandum nomina reperta sunt, magnam partem illa a coloris cutanei mutatione et a causis morbi repetenda: morbus pallidus, discoloratio virginum, icterus albus; morbus virgineus, cachexia virginum, febris amatoria, alba, la pale maladie, Bleichsucht, Jungfern-Liebeskrankheit, quae quidem nomina quamvis virginum morbum significent, Chlorosin tamen

et in foeminis nuptis viduisque et in adolescentibus interdum obviam esse satis constat.

§. 2.

SYMPTOMATOLOGIA.

Quae Chlorosi sunt correptae, cutis colorem praebent mutatum. Pallor enim est albus, cereus, subviridis, luteolus, luridus, quas diversas coloris commissuras verbis exprimere difficillimum est. Membranae mucosae, imprimis linguae, crasso ac tenaci muco obductae, conjunctivae oculorum, labiorum oris, nasi pallore albo insignes. Oculi splendore egent consueto et vivacitate virginibus in evolutione pubertatis propria. Calor cutis diminutus. Levioribus caloris mutationibus frigore infestantur aegrotae.

Turgor vitalis effugit ex cute, quae saepius habitum leucophlegmaticum ostendit, et transitum in oedema format. Transpiratio mutata, maxime depressa. Quieti et somno libenter se dant aegrotae, sed ejus usu non recreantur. Exiguis laboribus peractis, magnam debilitatem prae se ferunt, quae in decursu morbi magis magisque augetur, unde fit, ut aegrotae, quo indulgere somno possint, societates voluptatesque amicarum evitent. Initio vero morbi non sunt tam debiles, quam esse videntur atque profitentur; et si primum defatigationis sensum superare contigerit, debilitas paulatim evanescit et majoribus ambulationibus peractis minus defatigatae, imo fortiores se putantes domum redeunt.

Minime in res attentum habent animum, memoriam non tenacem. Omnes fere ejusmodi aegrae cordis palpitationes accusant a vitiis organicis liberas, minoribus jam corporis motibus excitatas, quibus accedit respiratio molesta, difficilis, sed, quando volunt, profundius spiritum trahere valent. Chlorosis si per aliquod temporis spatium jam duraverit, pulsum invenimus valde variantem, modo debilem, tardum, facile comprimendum, filiformem, parvum, modo frequentem, numerum 120 superantem. Venae cutaneae pallidae, rosaceae. Qualitates sanguinis physicae et chemicae in Chlorosi nostris demum temporibus accurate diligenterque sunt excussae. Sanguis difficulter coagulatur neque crustam pleuriticam habet; placenta sanguinis est mollis, diffluens, non plane formata, liquor maxime praevalet prae substantiis solidis, minus coloratus. Fibrina pulsatione sanguinis secreta minus solidam praebet consistentiam. Corpusculorum vero sanguineorum copia valde est minuta. Quamvis auctores in analysi chemica sanguinis chlorotici quantitativa valde inter se discrepent, quod mirum non est, quum jam sanguis sanus ex differentia sexus, temperamenti, aetatis, nutritionis etc. variam exhibeat conjunctionem chemicam, mutatum tamen in Chlorosi sanguinem ex tabula cognoscere liceat hac:

Sanguinis sani elementa		Chlorotici	Chlorotici ejusdem, post usum ferri per hebdomades septem institutum
Aquae . .	795,2	871,5	806,5
Materiar. solidar.	204,0	128,5	193,5
	— . —	— . —	1 . —
Fibrinae .	2,1	2,0	1,2
Pinguedinis .	2,3	2,5	2,2
Albuminis .	76,6	79,8	81,2
Globulini .	103,0	30,8	90,8
Haematini .	6,2	1,4	4,5
Materiar. extractivar. et salin.	12,0	11,0	9,5

Analysis enim est sanguinis virginis undeviginti annorum chloroticae ab J. F. Simon post venaesectionem instituta (Handb. der med. Chemie. T. II. pg. 207—209), ex qua videmus aquae, pinguedinis et albuminis copiam adauctam, materiam solidam, globulinum, haematinum minutum. Ferri imprimis copiam in analysi Foedisch valde imminutam invenit. Sanguis vulgo continet ferri partes octo in partibus mille, in Chlorosi vero etc. quinque ad tres.

Causali quodam connexu cohaeret cum hac vitiosa sanguinis conditione phaenomenon, quod semper fere reperitur in chloroticis, murmur illud a Franco-Gallis bruit de diable (Kreiselgeräusch) appellatum, quod vulgo in utroque colli la-

tere in arteria subclavia et carotide una cum ventriculorum cordis systole auditur. Sonum vero huncce in arteriis tantum existere nec in venis, quae interdum quoque pulsant, digitorum tactu explorare licet. Sed murmur non solum in diversis hominibus, sed etiam in una eademque aegrota varias offert modificationes. Typum sistit modo intermittentem, quum non ab una pulsatione usque ad alteram perdurat, modo continuum i. e. semper quidem auditur, sed cum pulsatione fortior evadit. Sonos imitatur, quos aër efficit per angusta et aspera spatia celeriter et violente percurrens. Habitus colli, musculorum tensio, impressionis per stethoscopium gradus magnam in speciem soni vim exhibeant necesse est. Observatur sonus talis etiam in aliis statibus morbosis, vitiis organicis systematis vasorum liberis, qui vero in eo, quod in iis sanguis minori copia aut qualitate magis serosa invenitur, consentire videntur. De causa hujusce symptomatis, quod in chlorosi non aspera tunicae internae arteriarum conditione provocatur, certi quid nondum statuere licet. Necdum innotuit, cur in art. subclavia et carotide praecipue sonus audiatur. Bouillaud situm propinquum laryngis, qui vim resonantem exhibeat, accusat et larynge ad alterum colli latus remoto sonum evanuisse affirmat. Scoda vero in eo esse positum putat, quod cordis impulsus multo magis urgeat in his arteriis propinquis, quam in remotioribus. Sed necesse est, horum sonorum modum cognoscamus et differentiam quae existit ex valvularum aortae conditione insufficiente, unde sonus similis, sed in diastole ventriculorum efficiatur.

In Chlorosi praeterea semper sunt functiones digestionis alienatae, sapor ingratus pituitosus, succi gastrici copiosa se-

retio, vomituritiones, hydremesis, pyrosis. Appetitus ciborum aut est exiguus aut nimius aut perversus insolita desiderans, qualia sunt calcaria et carbonica et sulphurica, pulvis carbonis, fabae coffeae tostae, al. Ex perversa systematis nervorum vegetabilis actione porro repetendae sunt malacia, pica, idiosyncrasiae. Sed interdum praetermittendum non est, puellas, quoniam se pulchriores futuras esse existiment, si palleant, sequentes fortasse Ovidium:

„Palleat omnis amans, calor hic est aptus amanti“

sponte talia absurda vorare aut propria dolorum adversarumque rerum aviditate corripi, ita ut melancholicorum modo vitae amoenitates fugiant, et doloribus rebusque adversis delectentur. Urina pallida aquosa, nonnunquam jumentosa, in qua principium et acidum uricum minuta. Coitus desiderium aut nullum aut morbose auctum. Aegrotae laborant frequentissime aut amenorrhoea aut dysmenorrhoea. Plerumque fluor albus adest. Quod attinet mensium conditionem, haecce fere sunt notanda.

1. Afficiuntur puellae, in quibus nondum menses neque ulla menstruationis molimina animadversa sunt; a teneris inde jam annis colorem pallidum nec sanum ostenderunt, scrophulosi laborarunt et ad affectiones sunt inclinatae catarrhales. In hisce pubertate ineunte effluxus e genitalibus intrat aut nullus aut fluor albus.

2. Menses jam aderant per annos regulares. Sed paulatim decoloratio chlorotica apparet atque symptomata hysterica, eodemque modo, quo haecce augentur, menses fiunt serosi irregulares; aut menses justis profusiores evadunt, metrorrhagiae appropinquantes, quo fit, ut aegrae valde defatigatae emacescant et colorem accipiant chloroticum.

3. Menstruatio adhuc rite fluens subito opprimitur, et molestiis amenorrhoicis exinde ortis Chloroseos symptomata accedunt.

4. Mulieres, quae per aliquot annos felici in matrimonio vixerunt infantesque pepererunt, viduae fiunt, aut aliis vitae conditionibus a voluptatibus sexualibus consuetis abstinere debent. Facile tunc affectiones chloroticae et hystericae in lucem prodeunt. (Naumann Handbuch d. med. Klinik VIII. 2.)

Sed licet menstruationis vitia simul cum Chlorosi vulgo nobis occurrant, tamen non est negligendum, quod jam J. P. Frank dixit (Epit. de curandis hominum morbis Lib. VI.):

„Non tam raro et aliis et nobis, non modo puellarum, „sed adultae quoque aetatis foeminarum sub singulis chloro- „ticae adfectionis phaenomenis, menstruo tamen fluxu nequa- „quam destitutarum, exempla occurrerunt.“

Sed morbum non a menstruatione sola originem ducere exempla demonstrant quaedam juvenum hoc morbo correptorum. Interdum menses rite fluunt, Chloroseos vero phaenomena non evanescunt et utrum Chlorosis dysmenorrhoeam, an dysmenorrhoea Chlorosin provocarit, difficillimum est dijudicare.

Inter complicationes, quas init Chlorosis, prae ceteris nominentur: Hysteria. Supra jam vidimus et animi et corporis perturbationes hysteriae non dissimiles, quae, si Chlorosis longius perdurat, exquisitam hysteriae imaginem constituunt.

Hydrops. Sub finem morbi enim, si nec naturae nec arti valetudinem restituere contigerit, saepius ex sanguinis

conditione, partibus serosis jam abundante, primum oedema et anasarca, tum hydrops internus provocatur.

Cordis vitia. Inveniuntur jam initio morbi, prognosinque stabiliunt pejorem, vel crebris, facile orientibus cordis palpitationibus paulatim formantur, quorum frequentissimum dilatatio cordis dextri cum attenuatione parietum juncta.

Tuberculosis, vitia organica systematis genitalium etc.

§. 3.

Quae sectiones docuerint, paucis sunt haec:

Musculi sunt pallidi, molles, facilius rumpendi et magnitudine et ambitu sanis valde superantur. Pinguedo vel plane deficit vel mollior est, liquore seroso mixta. Sanguinis copia in cadavere minuta, venae sanguine seroso impletae, substantia cordis brunea, mollis. Vitia cordis saepius nunc in lucem procedunt. Tunicae serosae et mucosae, ut cutis, pallent. Tunica intestinorum interna muco viscido vulgo obtecta. Lien vero tumet, sanguine abundat, hypertrophicus est factus et mollior, dum cetera organa anaemica apparent.

Species morbi statuuntur ab auctoribus variae, florida et atonica, erethistica et torpida etc., quae, quamquam in cura instituenda summi momenti, ab constitutione, temperamento et reactionis gradu tantum repetenda esse videantur.

§. 4.

DECURSUS ET EXITUS.

Raro Chlorosis, postquam per tres ad quatuor hebdo-

mades duravit, jam finitur, nam plerumque morbis valde chronicis est adnumeranda, qui longum per tempus in uno eodemque fere statu pertinacissime perseverant. Chlorosis vero si sanari incipit, symptomata essentialia sensim sensimque evanescunt; menstruatio quando jam aderat, regulari nunc typo profluit, ubi nondum apparuit, menses prima vice intrant mucosi, tum mucoso-sanguinei, et postremo sanguinis menstrui qualitatem induunt. Color sanus redit, functionesque et animi et corporis rite procedere incipiunt.

Transit porro morbus noster in alios. Vitia cordis si non aderant, saepius in decursu accedunt, dilatationes e. g. ventriculi et atrii dextri, valvularumque vitia. Praeterea in phthisin floridam, indurationem aliosque morbos lienis exit. Si morbus per longum tempus constitit, ex sanguine depravato et organorum vitiis primum oedema et anasarca, dein ascites vel hydrothorax existit, aut paulatim aegrotae febri hectica corripiuntur, quorum morborum haud raro exitus est mors.

§. 5.

DIAGNOSIS.

Etiamsi Chlorosis phaenomenis pathognomonicis tam distincte significetur, ut cum aliis morbis non facile confundi possit, supervacaneum non videatur, afferre adhuc aliquot

status morbosos, qui primo intuitu similitudinem quandam cum Chlorosi exhibent.

Notum est, aegras febri intermittente diuturna, protracta, male curata laborantes, cutis colorem pallidum, luridum (erdfahl) praebere, praecipue si tumor lienis distincte tactu explorandus jam exstat. Sed etiam, si anamnesin et morbi symptomata omittere velimus, in colore ipso differentia observatur, verbis quidem non facile exprimenda. Num vero, quum haud raro Chlorosi laborantes de doloribus in regione lienis valde molestis conquerantur, et in sectione splen in conspectum veniat sanguine abundans, vel a statu sano omnino abhorrens, num ex hisce de morbo aut affectione quadam lienis in Chlorosi aliquid concludi, et quum similia in febri intermittente observentur, de nexu quodam ad aetiologiam referendo inter hosce morbos sermo esse possit, vehementer dubium est.

Confundi autem facile Chlorosis cum pallore morbis aliis, imprimis haemorrhagiis effecto non potest; praetermissis aliis phaenomenis jam cutis color in Chlorosi semper plus minusve viride flavus symptoma exhibet pathognomonicum. Haemorrhagiam transitui in Chlorosin favere, nemo dubitabit. Attentum porro habeamus animum in morbos organicos cordis, quibuscum saepenumero complicata apparet Chlorosis.

Quamquam enim palpitationes cordis per se, et murmur illud (bruit de diable) cordis vitium non stabiliunt, saepe tamen dilatationes, hypertrophiae auscultationis et percussionis ope inveniuntur, quae in curam instituendam vim exercent magnam. Complicationes, quas init morbus noster cum hysteriae phaenomenis sat variis et innumerabilibus et cum

dysmenorrhoeae speciebus, diagnosin, symptomatibus accuratius observatis ad Chlorosin pertinentibus, turbare nequeunt.

§. 6.

AETIOLOGIA.

Praedispositionem ad Chlorosin aetas evolutionis pubertatis infert et maxime puellis. Nam ut omnino systema genitalium ejusque functiones in foeminis multo majoris momenti sunt quam in viris, statusque morbosi summam in modificandos mulierum morbos vim exserunt, sic quoque aetas, qua primum functiones generi servando destinatae rite incipere debent, saepissime molestiis jam turbatur, quae vulgo molimina mensium dicuntur. Nova fit organismi vivendi ratio. Novum systema organorum adhuc quiescens existit, et quamquam in hoc aetatis transitu plerumque non est periculum, tamen facile perversa inter secretionem et nutritionem conditione Chlorosis provocatur. Inter temperamenta potissimum phlegmaticum sic dictum morbo propitium videtur.

Fausta porro Chlorosi est constitutio infirma, debilis, cachectica. Puellae male nutritae, si pubertatis evolutioni accedunt, facilius hoc morbo corripiuntur; at constitutio etiam plethorica, firma, nutritione optima gaudens, non libera videtur, et speciem morbi, quam dicunt auctores (Wendt) floridam, constituit.

Dispositio hereditaria in hoc morbo difficulter demonstrari

potest. Etiamsi sorores filiasque, quarum matres Chlorosi laborarint, saepius eodem morbo petitas videamus, hac tamen ex re de vi morbi hereditaria concludere non licet. Vulgo tunc culpa constitutioni debili, nervosae, quae sine dubio a parentibus transit in liberos, potentiisque nocivis, quae simul toti familiae obsunt, imputanda esse videtur.

§. 7.

CAUSA OCCASIONALIS.

Primum in omnibus posita est potentiis, quae evolutionem pubertatis prius efficiunt, quam organismi vires permittant. In his sunt educatio vitiosa, si puellae pubertati appropinquantes multum versantur in legendis historiis impuris phantasiam excitantibus; si maturius in societatibus adolescentium multa inepta et impudica verba producentium commorari solent; si ad manipulationes in genitalibus et ad onaniam inducuntur, quibus irritamentis systematis genitalium aliquamdiu continuatis menses provocantur, sed irregulares, functionem praebentes pathologicam, non physiologicam. Sanguis, qui nutritioni totius corporis adhuc inservire debuit, consumitur in evolutionem pubertatis et excernitur, et quod detrimentum inde capiat organismus sanguinisque conditio et mixtura, mirandum non est.

Fausta porro hujus morbi generationi est vita sedentaria, quare nostris temporibus saepius in puellis sartricibus et in fabri-

cis laborantibus observatur, quae simul aliis etiam potentiis infestantur Chlorosi faventibus, quales sunt commoratio in humido minusque apto aëre, in domiciliis subterraneis (Kellerwohnung), cibi dyspepti et chylum pejorem formantes, exercitationis corporis in variis dispositionibus inopia, potus calidi, et infusionum irritantium nec nutrientium, imprimis coffeae abusus, vita sollicita, anxia, voluptatum et laetitiae expers. Accedunt amor infelix, contentus, in pectore reconditus, suppressae cupidines, spes falsa, aegrimonia, nuptiae praematurae nec exoptatae, coitus saepius repetitus aut consuetus neglectus (ut in viduis juvenilibus), solis per longum tempus defectus, corporis et animi labores nimii, quorum alteri in puellis pauperibus, alteri in divitibus saepius accusandi sunt, corporis sudantis refrigerium, labores in aqua. Morborum dein quorundam infantilium mentio fieri debet, scrophuloseos, rhachitidis, atrophiae, qui una cum pubertate evanescentes, quum similiter atque Chlorosis ex nutritione laesa originem duxerint, saepius in Chlorosin transgrediuntur.

Praeterea haud raro causalem quendam nexum init Chlorosis cum morbis paulo ante praegressis, qui sanguinis qualitatem depravant, copiam minuunt, nutritioni obtrectant, quales sunt haemorrhagiae, menstruatio profusa, lochia nimia, lactatio nimis protracta, blennorrhoeae, febres intermittentes, typhosae, suppurationes, venaesectiones incongruae.

Cura denique medica non apte instituta interdum Chlorosin proferre valet. Prioribus enim temporibus, quum medici ex menstruationis retentione solum morbum repeterent, prima iis fuit indicatio mensium restituendorum aut producendorum, quare emmenagoga plus minus fortiora adhibebant, sanguinis-

que detractiones et generales et locales, nulla causarum ratione habita, instituebant. Sed de his nostra aetate vix sermo esse debet.

§. 8.

CAUSAM MORBI PROXIMAM.

Auctores nunc multo melius explorasse videntur, quam superiorum temporum medici, qui Chlorosin ab amenorrhoea tantum repetere solebant. Secundum Osiander ex vi systematis lymphatici maxime debilitata in ventriculo, intestinis, hepate et utero apparente nascitur, quo fiat, ut chylificatio et sanguificatio turbetur; inde sanguinem amittere paulatim colorem laete rubrum, coagulationis facultatem et calorem sibi proprium.

Wendt morbum ex aequilibrio inter evolutionem systematis genitalium et actionem totius organismi turbato repetit.

Divitt statum debilitatum et mutatum systematis nervorum vegetabilis causam proximam esse contendit, quo fiat, ut nutritionis functiones laedantur.

Paucis verbis Walther (Hufel. Journ. 1836. St. 6. pg. 83) Chlorosin exponit hisce: „Der Mangel an hinreichender Blutbildung und Ernährung hindert das Uterinsystem, seinen Blüthenzustand zu erreichen, daher Emmenagoga um so mehr schaden, als sie das Uteringebilde in seiner Ausscheidungsfunktion zu steigern vermögen, indem hier nicht in dem Cessiren oder dem unvollkommenen Zustande der Periode als

solcher die Chlorosis liegt, sondern darin, dass der Blutbildungs- und Ernährungsprozess nicht einmal dem Individuum genügt, kaum erst, dass er jenes überragte."

Joerg nutritionem ait imminui eo, quod ventriculus atque intestina extenuentur, aut organa abdominis glandulosa obstruantur; exinde sanguinem respiratione parum oxygenii recipere, quod justo minus bonarum partium contineat ideoque minorem vim oxygenium attrahendi habeat; quae omnia per primos pubertatis annos in corpore muliebri facilius, quam in virili morbum efficere, cum in illo nutrimenti abundantia procreata in uterum deduci debeat, idque per incommodam organorum digestionis rationem impediatur.

§. 9.

PROGNOSIS.

Quod spectat ad vitam, si omnino stabiliri potest, fausta, quod ad sanationem, dubia. Nam haud raro morbus omnibus medicaminibus resistit, nisi vivendi rationem mutare valemus, et semper fere decursum exhibet tardiorem. Sed in prognosi constituenda medicus omnes res morbi specimini proprias accuratissime perpendat, animoque revolvat, priusquam certam sententiam proferat, necesse est. Dependet enim prognosis:

a) a constitutione et tota corporis conditione.

Constitutio etenim infirma, debilis, corpus morbis antea

exantlatis debilitatum, digestio et nutritio valde jam laesa, sanguinis depravati signa pejorem omnino prognosin statuunt.

b) a temporis spatio, per quod jam duravit morbus.

Febris hectica, si jam adest, finem vitae propinquum designat.

c) a complicationibus.

Pejus evadit augurium, si inveniuntur vitia cordis, oedema et hydrops internus, lienis induratio, vitia genitalium organica, operatione non tollenda. Pessimum, si tuberculorum aut in pulmonibus aut in tractu intestinali symptomata in conspectum venerunt.

d) a conditionibus aegrotarum externis.

Si potentiae nocivae in vitae ratione positae removeri nequeunt, ex quarum fonte morbus originem duxit, sanari morbum sperandum non est. Scilicet matrimonium interdum optimum est remedium.

Negligendum denique non est, mulieres et puellas, quae Chlorosi laborarint, per posterum tempus saepe steriles manere, aut ad abortum esse propensas miserosque et sensibilitate morbosa insignes parere infantes.

Sin chlorotica mulier gravida est facta, omnino boni omnis esse videtur, quum in puerperio rite peracto morbi signa evanescunt. Sanatio si perfecta est, semper provideas, ne morbus fiat recidivus.

§. 10.

THERAPIA.

Indicatio causalis.

Causas morbi remotas, si exploratas habemus, removeamus, quod saepissime quidem non est penes medicum. Si vivendi rationem ad certas leges diaeteticas conformare valueris, hoc solummodo morbum saepissime depellere continget. Paulatim aegrotae e consueta vivendi ratione in novam transeant, ne subita mutatione detrimenti plus quam utilitatis capiant. Fruantur cibis nutrientibus, digestionis actionem modice irritantibus, in quibus sunt: caro avium tenera, agnina, vitulina, jusculaque ex his cum aromaticis parata, lac dulce et recens, serum lactis, ova mollia, panis albus tostus. Pro potu vinum detur aqua commixtum, vel cerevisia optime fermentata cum additamentis amaro-aromaticis.

Potus vero calidi, relaxantes, quantum fieri potest, evitandi. Nullo pacto pigritiae indulgere debent. Ambulationi-

bus parvis, paulatim majoribus adsuescant, aut versentur, quantum vires permittant, in laboribus rusticis et hortensibus usque ad defatigationem. Tum demum somno se dent in lecto duro et modice calido, ex quo mature excitatae, rursus redeant ad labores. Sed si vires re vera deficiunt, equitatio, vectiones in curru, frictiones ante coenam institutae salutarem effectum praebebunt. Versentur aegrotae in aëre sicco, tepido saepius renovato, et si fieri potest, domicilium suum commutent cum rustico, montoso. Vestimentis utantur calidis, levibus, sed refrigerium praesertim abdominis extremitatumque inferiorum prohibentibus. Quando vero morbus vim suam exhibuit in animum, aut potentiis psychicis est prolatus, tum animi pathemata sunt vitanda, turbataque animi quies reducenda persuasione, sociis amicis et gratis, animi distractione, itineribus etc. Summa autem providentia opus est, si sermo fit de matrimonio, quo hic morbus sanari dicitur, committendo. Quamvis exempla exstent virginum hoc remedio adhibito sanatarum, tamen evolutione corporis non plane peracta et constitutionibus nervosis maleque nutritis conjugium maxime nocebit. Sed et matrimonium ab aegrota valde exoptatum signum certum, coitum salutarem fore non sistit, quoniam coitus desiderium haud raro conditionibus morbosis, maxime genitalium, prurigine, helminthiasi, haemorrhoidibus provocari solet.

§. 11.

INDICATIO SYMPTOMATICA.

Symptomata morbi si valde urgent, nimiasque aegris molestias afferunt, interdum, quantum morbi indoles permittit, sunt opprimenda, priusquam morbo ipsi studeamus. Si insultibus hystericis aegrotae vexantur, antispasmodica, tinct. castor., opium, liq. ammon. succ., infusum chamom., menth. pip., valerian. in usum sunt vocanda, contra vermes anthelminthica, contra acidum primarum viarum absorbentia cum aromaticis et amaris, contra palpitationes cordis infus. digit., aq. lauroc., amygd. amar. etc.

§. 12.

INDICATIO MORBI.

Priusquam curam morbi ipsius incipiamus, attentum habeamus animum in conditiones morbosas systematum et organorum. Inter haec primum spectandum est, ut intestina muco viscido accumulato et infarctibus liberentur et vasorum lym-

phaticorum functiones augeantur, quod celerrime efficitur emeticis, quibus ventriculus totumque systema nervorum abdominalium chylificationi inservientium excitatur, et medicamentis porrigendis praeparatur. In purgantibus omnino saepius drastica et resolventia cum aromaticis adhibeantur: rheum, senna, jalappa, sapo med., aloëtica, extr. colocynth. cum cortice aurant., hb. absinth. In sola vero atonia intestinorum statim transeamus ad remedia tonica roborantia, inter quae cascarilla, absinth., cort. et poma immatura aurant., marrubium, quassia, costus indica, rad. diptamni alb., quorum usu morbum removere saepius contingit. Corroboratis hoc modo et ad statum sanum reductis organis nutritionis in ordine metallorum medicamentum nobis est, experientia medicorum omnium in Chlorosi comprobatum, omnibusque laudibus dignum.

Supra jam vidimus in analysi chemica, ferri copiam in sanguine chloroticarum valde esse minutam. Satis quoque constat, ferrum per digestionis organa recipi in sanguinem et salutarem exinde in omnia organa exhibere effectum.

Specificam ergo in Chlorosi vim exhibiturum esse ferrum a priori statuere jam licet. Sed quum thesis, medicamina et alimenta eo modo tantum praebere effectum, quo transierint in organismum, imprimis de usu ferri valeat, tum demum ferrum in usum vocabimus, si digestionis functiones rite procedant, atque abstineamus in gastricismo, in atonia ventriculi, in tenacibus alvi obstipationibus. Porro in adaucta systematis vasorum actione, in congestionibus, quales menses subito oppressos sequi solent, in complicatione cum tuberculosi etc.

Primum leviora ferri praeparata: tinct. ferr. pomat.,

acetici aeth., martii tartar., spir. sulph. aeth. martiatus, ammonium mur. mart. cum aromaticis et amaris sumenda sunt; transgrediamur dein ad limatur. mart., ferr. oxydal. nigr., carbon., al., quae remedia proprias habent indicationes. Mitiori vero ratione quam ferri praeparata artificialia vim suam exercent balnea et aquae, quibus ferrum cum acido carbonico junctam inest; quarum ex illustrissimorum atque experientissimorum medicorum commendatione saluberrimae sunt: aquae Pyrmontanae, Driburgenses, Brucenavienses, Fachingenses, Suabacenses, in Silesia Cudovenses, aquae Antiquae, Flinsmontanae etc. Si vero usus earum aegrotis non sit permissus, balnea artificialia ex globulis tartari martiati, aut ex limatura martis cum aceto vini praeparata similes eventus secuti sunt. Molestias, quas ferri et aquarum usus saepius secum affert, remediis aptis adjunctis removeamus. Etiamsi vero morbi symptomata evanuerint, cave obliviscaris, morbum facile fieri recidivum, quare aegrota per longius tempus in cura et diaetetica et pharmaceutica perseveret, necesse est.

Complicationibus quantum fieri potuit, revulsis et nutritione organismi in integrum restituta, tamque emendata, ut ex menstruationis fluxu detrimentum non amplius capiat aegra, id denique spectandum est, ut menses aut provocemus aut ad typum regularem reducamas: quem ad finem emmenagoga mitiora, pediluvia, semicupia, frictiones extremitatum inferiorum, hirudines ad genitalia externa adplicanda sunt. —

VITA.

Natus sum ego, Otto Kattner, die undevicesimo Februarii anno hujus saeculi vicesimo primo Graeferey, pago prope Nissam Silesiae oppidum sito, patre Josepho et matre Hedwiga e gente de Borwitz, fidei catholicae addictis, quos ut deus maximus incolumes mihi conservet quotidie precor. Primis literarum elementis imbutus Nissam me contuli ibique per novem annos in Gymnasio, quod directore Scholz adhuc floret, literis incubui.

Deinde maturitatis testimonio ornatus Vratislaviam me contuli. Mense Octobri anni MDCCCXL inter cives universitatis Viadrinae receptus per triennium hisce interfui lectionibus:

Ill. Barkow de osteologia, anatome comparativa et pathologica; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice et de fasciis et instrumentis chirurgicis; Ill. Betschler de arte obstetricia et de morbis mulierum; Ill. Duflos de chemia pharmaceutica; Ill. Fischer de chemia

experimentali; Ill. Goeppert de plantis officinalibus; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de studii medici hodegetice; Ill. Klose de pathologia et therapia generali et de politia medica; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice et generali et speciali; Ill. Otto de anatome corporis humani et de historia foetus; Ill. Pohl de physice experimentali; Ill. Purkinje de physiologia et de morbis psychicis; Ill. Remer sen. de therapia speciali; Ill. Remer jun. de morbis syphiliticis; Exp. Seidel de methodo formulas medicas concinnandi; Ill. Thilo de psychologia et logice; Ill. Wendt de materia medica, de morbis infantum et de aquis et fontibus.

In cadaveribus secandis duces mihi fuere Ill. Otto et Barkow; in exercitationibus clinicis: Ill. Benedict, Betschler, Remer sen.

Dein autumno anni MDCCCXLIII Berolinum me contuli ibique ab Ill. Lachmann, rectore magnifico, inter cives almae Fridericae Guilelmae receptus, apud Ill. Busch, decanum gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilem, nomen dedi. Per duo semestria interfui scholis:

Ill. Hecker de historia medicinae; Ill. Mueller de anatome organorum sensuum; Ill. Wagner de medicina forensi.

Scholis clinicis interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Busch, Dieffenbach, Juengken, Romberg, Wolff.

Quibus viris omnibus optime de me meritis, quum, tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso superatis, jam in eo sim, ut summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur, maximas quas possum gratias palam ago semperque habebo.

THESES.

1. Phthisicis plurimum diaetetica praestant praecepta.
2. Lithotripsia providenter instituta Lithotomiae est praeferenda.
3. Amaurotici lucem petunt, cataractosi evitant.
4. Diagnosin graviditatis certam ante sextum mensem statuere non licet.
5. Hospitia infantum expositorum nostris laudibus sunt dignissima.
6. In morbis animi judex medicus esse debet.